



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

28. Dies Augusti. Augustinus, homo cœlestis, imago Divinitatis, Pater Patrum, abyssus sapientiæ, præco veritatis. Possidius in Epistol. ad Macedon.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 28. DIES AUGUSTI.

Augustinus, homo cœlestis, imago Divinitatis, Pater Patrum, abyssus sapientiæ, præco veritatis.

*Possidius in Epistol. ad Macedon.*

Laus S. I.  
Augusti-  
ni.

**H**anc diem Augusti reddit suo splendore augustum, ille Pater Patrum Augustinus. Naturæ miraculum, Doctrinæ oraculum, utriusque prodigium. Tum erat impensè cupidus omnis scientiæ, ut se reum peccati confiteretur, & sancti Numinis se violasse voluntatem crederet, quòd in scholis puer, (a) *Græcas literas odisset*, quas eum peritissimi Grammatici docebant. Cœperat in adolescentia, ut de se meminit, *respicere ad fora litigiosa*, ut in his excelleret: (b) *hoc*, inquit, *laudabilior, quo fraudulentior*; sed ab illo præcipitio servatus est. Ubi illi cæpit sapere humilis Christi scientia; desipuit illi Tulliana eloquentia. Hinc, cùm primùm divinitus illuminatus, in pietatis se gremium volens contulisset, dicendi artem penitus abiecit. Cùmurgeretur à Valeriano Episcopo, ut communis pietatis gubernationem susciperet; summis precibus ab eo contendebat, ut Quadragesimæ tempore ipsi liceret à consueto feriari negotio, quòd inquit, posset in quiete sese ad munus, officiumque suum disponere, *legendo, orando, plangendo*. Tantùm ille horrebat illud adeò honorabile munus, quantùm alii intolerabile onus. In hoc munere ita se gessit, ut meritò illi conveniat illud elogium Remigii Antistiodorensis

V v 3

sis

(a) *L. 1. confess. c. 13.* (b) *L. 3. confess. c. 3.*

sis: (a) Augustinus est inter Doctores, quod Sol inter planetas. Et illud Ruperti: (b) Columna vernatis, columna nubis, in qua thronum suum posuit Sapientia Dei.

II. Ipsius calamo videtur scripsisse ipsa Theologia. Quot sunt in ejus foliis syllabæ, tot sunt folia Sibyllæ: quidquid pronuntiavit, fuit pronuntiatum, quidquid scripsit, effatum. Ceris, ac studiis totus incubuit, chartis totus impalluit, & totâ ferè vitâ literis affedit: scribendisque libris sic est immoratus, ut is fuerit immortuus. Fertiles ex illis fructus tota retro sensit antiquitas, tota & olim sentiet posteritas. Vivet enim, spirabitque in ævum omne, in scriptis suis Augustinus, atque per ea etiam in scholis docebit, & detonabit in pulpitis. Ita ut juxta adagium Hispanicum: sicut nullum est convivium sine vino, sic nulla concio sine Augustino. Qui tantus fuit scientiâ, & sanctimonia in terris, non minori fuit gloriâ in cælis. Patebit hoc quodam viso. Spectabat quidam Beatos in cœlesti gloria, in qua, dum Augustinum non aspicit, ex illis quærit; *Ubinam esset Augustinus?* Cui illi, in editissimis Empyreï locis, in quibus Sanctissimam Trinitatem (de qua olim magnificè disseruit) irretorto mentis oculo aspicit, eaque fruitur quàm felicissimè. Quod igitur est Aquila inter cœli volucres, hoc est Augustinus inter Ecclesiæ proceres. Ipse ideò, ut Aquila, posuit nidum suum in arduis, dum doctrinæ, & pietatis alis evolavit super omnes, qui fuerunt omnibus sæculis.

III. Hinc, ab ejus, quem fundavit, ordine, miratur orbis tot erectas Virtutum scholas; tot Gymnasia

(a) In 2. ad. Cor. (b) L. 2. de oper. Spirit. sancti. c. 19.

sapientiæ; tot Sanctorum seminaria, tot Dei castra, tot arces refugii, tot militantis Ecclesiæ propugnacula, tot mundi sidera. Prima commendatio ipsius Ordinis petitur a bisuis Alumnis, è quibus extitère longè plurimi, quâ doctrinâ, quâ virtute, quâ dignitate conspicui. Ticinensis, in suo propugnaculo Ordinis Canonici astringit, ex Ordine Canonorum Regularium, quem instituit D. Augustinus, produsse Romanos Pontifices quinquaginta quatuor: Cardinales mille, quingentos sexaginta septem. Et hæc à tiara Pontificia Majestas fuit, major ab illis, quos Beatorum factis adscriptos suspicit universus terrarum Orbis: fuerunt autem illi sedecim mille, ducenti. *Breve elogium, sed prolixum totius laudationis, quæ nulli unquam Religiosæ Congregationi attributa fuit, suffragium, ut idem loquitur. Itaque, rem acutetigit Possidius, dum hæc de Augustino protulit, & hæc verbis extulit: Par Angelis, in fervore; par Prophetis, in absconditorum mysteriorum revelatione, par Apostolis, in prædicatione. Unum disce ex Augustino, animo esse erga mundum angusto, erga Deum angusto. Talis eris, si magno animo te parvi facias, dicasque maxima cum D. Augustino submissione: (a) Non meo vel ingenio, vel merito, sed Dei dono sum, si quid laudabiliter sum. Noli altum sapere, nec alta quærere. Hic repe, hic jace. Et ex consilio Poëtæ,*

*Ad secreta poli, curas extendere noli.*